



4  
Q. B. F. F. Q. S.  
DISPUTATIO JURIDICA  
SOLENNIS

*a. d. 4. Jul. Gregoriani 1693.*

IRNERIUS INJU-  
RIA VAPULANS,

P R Æ S I D E

*Viro Prænobiliss. Excellentissimo, Consultissimo  
atque Celeberrimo,*

D. ALEXANDRO ARNOLDO  
PAGENSTECHEO, JC.

Antea in celebri Celsissimorum Comitum in Bentheim,  
Tecklenburg, Steinfurt & Limburg ARNOLDINO, Nunc  
vero in illustri atque alma Augusti Electoris Bran-  
denburgici ACADEMIA DUISBURGENSI,  
Antecessore Ordinario,

*Defendendus per*

BERNHARDUM à BENTHEIM,  
TECKLABURG: WESTPHALUM.

P A R S Q U A R T A.



DUISBURGI ad RHENUM,  
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typographum.  
Anno M. DC. XCIII.



ILLUSTRISSIMIS, GENEROSISSIMIS RESPECTIVE  
ET PERILLUSTRIBUS, EXCELLENTISSIMIS,  
MAGNIFICIS ATQUE AMPLISSIMIS  
DOMINIS,

D. JOANNI,  
D. THOMÆ ERNESTO,  
D. SYLVESTRO JACOBO,  
D. EBERHARDO CHRISTO-  
PHORO BALTHASARI,  
D. DANIELI LUDOLFFO,  
D. NICOLAO BARTHOLO-  
MÆO MICHAELI,  
D. WILHELMO HENRICO,

Fratribus Germanis,  
Respective Baronibus, atque Dominis,  
de

DANCKELMAN,

Respective Sacræ Regiæ Magnæ Britanniæ Majestatis, &  
Augustæ Novemviralis Brandenburgicæ Serenitatis, Mi-  
nistris Status atque a Consiliis sanctissimis, pacis, belli,  
clientelarum &c. &c. &c.

Totius Europæ ornamentis,

*Dominis suis gratiosissimis, Mecenatibus  
atque Patronis summis,*

*Trepidante at devotissima manu*

D. D. D.  
BERN. à BENTHEIM,





IRNERII INJURIA VAPULANTIS  
COITIO DECIMA TERTIA,  
ad

AUTH. NISI ROGATI. ET SEQ. C. AD. SC.  
TREBELLIAN.



*S*ingulari beneficio (ait Cl. Wissenbachius *Sylog. Error. Irner. th. 27. & 28.*) pater, à quo legatum, vel fideicommissum filio suo, nepoti defuncti, relictum est, in diem, vel sub conditione, non prestat filio satisfactionem legatorum, vel fideicommissorum servandorum causa, nisi duobus casibus. 1. Si testator eam cautionem præstari jusserit. 2. Si pater transeat ad secundas nuptias. Plures casus non sunt. 1. jubemus. 6. §. 1. & 3. C. ad Sc. Trebell. Huic l. subjiciuntur Authentica due, Authentic. nisi rogati. ex N. 123. c. 37. & Auth. contra ex N. 108. c. 1. & 2. Verum nihil ea πρὸς τὸν διορισμὸν. Nilhil enim in d. N. 123. de hac cautione remittenda, aut non remittenda adfertur. Hoc tantum ibi dicitur, hanc conditionem, Si liberos susceperit, si nupsit, vel cum nupsit, remitti ei, qui monachismum, vel clericatum præoptaverit: & rursus, substitutionem precariam extinguere, si sub conditione contrariâ oneratus sit fideicommissum, nisi in redemptionem captivorum, vel exhibitionem pauperum substitutio fideicommissaria concipiatur. In N. 108. filius rogatus restituere fratribus suis, ab onere cautionis non est immunis. Irnerius galeam tibi, aut ocream capiti induxit. Giphan. in d. l. 6.

§. I. Pace vestra, incluti Wissenbachiani manes, liceat dixisse,

A

nonnihil



nonnihil hic de humanitate, fere scripseram ingenuitate, vestra decoxistis. Quid? an dictæ Authenticæ *nihil, nihil* inquam, πρὸς τὸν Διόνυσον? An Irnerius galeam tibiæ, aut galeam ocreæ induxit his locis? Quam vereor, Lector, ut hæc de ipso Wissenbachio, etsi viro quondam summo, mutato nomine dici queant! Enimvero non voluit Irnerius has Authenticas ad illa applicari, quo illas invitissimas & quasi obtorto collo rapit Cl. Wissenbachius. Esto, nihil faciant hæc Authenticæ πρὸς Διόνυσον, sufficit si πρὸς Ἰρηνιανόν. Esto, non spectent ad ea ad quæ eas trahit Wissenbachius: Sufficit si ad ea aptissime quadrent quæ in dicta Lege 6. C. ad SC. Trebell. continentur, ad quæ ea referre voluit Irnerius.

§. II. Enimvero quemadmodum Irnerio placuisse illam (magnis Antecessoribus etiam hoc sæculo non sine insigni Auditorum fructu placitam) docendi methodum, qua per regulas, earumque ampliationes & limitationes discipulorum animus commodissime instruitur, jam alibi observavimus: *vid. Irner. injur. vapul. p. 3. coit. II. §. 4.* ita ejus instituti tenacem in præfatis Authenticis videre est Irnerium.

§. III. Cum enim in *d. l. 6. C. ad Trebell.* talis a Zemone (aut Justiniano) præscripta esset regula: Liberos per fideicommissum rogatos, ut si sine liberis decessissent, portionem hereditatis suæ restituerent, tunc ipsos liberos si sine liberis decessissent debere restituere dodrantem. *vid. d. l. 6. pr.* Hujus legislatoris regulæ accuratissimus Antecessor Irnerius duas, totidem Authenticis, ex Jure Justiniani novissimo aptissime subjecit exceptiones aut si major limitationes, ad legis NB. principium, ubi regula, respicientes.

§. IV. Prior exceptio est in Authentica nostra *Nisi*. Ubi ipsum vocabulum *Nisi*, satis indicat, exceptionem proponi præcedentis alicujus regulæ: est enim hæc particula exceptiva & importat exceptionem a præcedentibus. *vid. Strauch. lexic. partic. jur. in Nisi. num. 2.* Proponamus ergo hanc exceptionem verbis Irnerii: *nisi*, inquit, *rogati* (liberi sc. sine liberis decedentes qui sub hac conditione fideicommissum gravati erant, de iis etenim egerat regula quam statim indicavi in *princip. d. l. 6.*) *restituere, monasterium vel alium locum venerabilem ingrediantur.* Assertio Irnerii plana est hæc;



hæc: Jure novissimo, per Nov. scil. 123. c. 37. inductum est ut qui monasterium similemve locum venerabilem ingressi fuerint, non videantur sine liberis esse aut decedere. Hanc assertionem suam ex dicto Jure novissimo porro ampliat Irnerius, & limitat. Ampliat: 1. ut dicta assertio etiam locum habeat, si sub conditione nuptiarum quid relictum fuerit. *ibi: conditione nuptiarum.* 2. Ut eidem assertioni etiam tum locus sit cum substitutio directa facta est: *ibi: aut substitutio fiat.* Quin & 3. si sub dictis conditionibus donatio facta sit. *ibi: datum.* Contra limitat assertionem dictam Irnerius: 1. nisi restitutio facienda sit ad redemptionem captivorum, aut 2. ad alimenta egentium: ut hisce duobus casibus ingressio monasterii pro matrimonio aut liberorum susceptione hoc respectu non habeatur: quæ & utraque limitatio concordat cum Authentico in Novella 123. cap. 37. & exhibetur ab Irnerio, his verbis: *Sive in redemptionem captivorum, sive in egentium alimenta (rogati sint restituere, quæ verba præcesserant) contra.* Id est, tum superior assertio fallit. Particula enim *contra* absolute posita, semper aliquid vult subintelligi: hoc loco potest subintelligi, *dico, vel dicendum est.* Veluti apud Phædrum: *At Laniger contra: intellige, dixit, vel locutus est.* Et alibi idem Phædrus: *latrans (nos canem vocamus) contra: intellige ut supra.* Potest & in Authentica subintelligi *tò est.* Quin & *contra esse*, possis hic accipere pro *præponderare*, scil. ut supra visis casibus præponderet adhuc decisio legis sextæ princ.: Sane hoc sensu, *contra esse*, Latinum est: metaphora tum desumpta a lance, ubi partem præponderantem, *contra esse*, veteres dicebant. Autoritates nunc non occurrunt. Puto tamen apud Turnebum de ea re quid legi. Vos noveritis, felices animæ, quibus sacra hæc tractare otium est.

§. V. Antequam pergam, monere debeo, Authenticas illas duas, quæ legi sextæ C. ad Trebell. subjiciuntur, pessime hæctenus editas esse. Cum hoc modo reponi debeant: *Nisi rogati restituere datum dotis causa vel propter nuptias donationis, vel relictum sub conditione nuptiarum vel liberorum, monasterium vel alium locum venerabilem ingrediantur, sive restitutio, aut substitutio, fiat sub prædictis conditionibus. Sive in redemptionem captivorum, seu in egentium alimenta: contra. Cum rogatus fuerit quis, ut sine liberis decedens,*



quod tunc ex hereditate superest, restituat, vel aliis hujusmodi fidei-  
 commissi verbis gravatus: quartam institutionis fideicommissario resti-  
 tuere cogitur. Super hoc igitur & cautionem, nisi à defuncto remissa  
 sit, exponet. Quod si contingat eam deminui: aut ex ipsius substantia  
 suppletur, aut ea deficiente, in rem actione & hypothecaria fideicom-  
 missario uti permittitur adversus rerum acceptores. Ex causa tamen  
 dotis seu propter nuptias donationis, seu captivorum redemptionis,  
 vel si non habeat unde faciat expensas, hujus quarta permittitur de-  
 minutio. Hanc lectionem flagitat non tantum ipse Irnerianus con-  
 textus, sed & vel maxime & ipsum Novellæ Justinianæ Authen-  
 ticum, ut nemo negabit cui utrumque lubuerit conferre. Qui  
 tum itidem videbit nullum me ex verbis Irnerianis verbum immu-  
 tasse, sed ne quidem transposuisse: nisi quod distinctiones alio  
 modo quam vulgo fit ordinaverim, quod uti Tibi Lector ad  
 mentem Juris licet, æquum est ut & mihi, ubi Legislatoris volun-  
 tati obsequor, idem permittas: de quo instituto dixi plenius in  
 responso illo meo tumultuario ad virum Excellentissimum mihi que  
 amicissimum D. Zaunschlifferum num. 22. usque ad 31. quod nunc  
 etiam editioni aphorismorum meorum Justinianeorum Francofur-  
 tensi adjunctum vides pag. 401. seqq. Quibus huc repetitis, non  
 dubito *tò contra*, quod alias Authenticæ posterioris verbum ini-  
 tiale vulgo est, ad Authenticam præcedentem, *Nisi rogati*, re-  
 ferre, ejusdemque Authenticæ verbum facere finale sive ultimum:  
 ita ut Authentica *contra. C. ad Trebell.* incipiat hoc modo: *Cum*  
*rogatus.* Ut & ita rectius, si in usum id deduci posset, allegetur.

§. VI. Sane & hoc modo patebit mens Irnerii, exceptionem vel  
 limitationem regulæ principalis, de qua ex textu legis nostræ sex-  
 tæ supra dixi, alteram exhibere satagentis, dum ita loquitur: *Cum*  
*rogatus fuerit quis, ut sine liberis decedens, quod tunc ex hereditate*  
*superest, restituat, quartam restituere cogitur.* Ergo hoc casu non re-  
 stituitur dodrans, uti volebat regula §. 3. *supr.*, sed tantum dodrantis  
 triens, sive assis totius quadrans. Casus hic specialis est, cum quis  
 rogatur restituere quod *superfuerit* eo tempore quo sine liberis de-  
 cedit: quo casu asserit Irnerius ex Novella 108. restitui debere  
 assis hereditarii quadrantem: quam assertionem ampliat iterum,  
 & limi-



& limitat. Ampliat 1. ut super restitutione hujus quadrantis etiam cautio, nisi a defuncto remissa sit, præstari debeat. 2. Ut pro restitutione hujus quadrantis omnia fiduciarum bona fideicommissario tacite generali hypothecæ obligata esse debeant, quod & ante dictam tamen Novellam obtinuit. *l. 1. C. commun. de legat.* & cum generalis hic adsit hypotheca, sequitur possessores rerum ita obligatarum gaudere beneficio Ordinis sive Excussionis. *vid. supra Coit. 8. §. 4. seqq.* quo respiciunt verba Authenticæ: *ea deficiente. Conf. Nov. 108. cap. 2.* Porro limitat Irnerius assertionem suam quatuor modis: quos vide in ipsa Authentica §. 5. *supr.* & enotavit Brunnem. in comment. ad *d. Auth.* (ut hæctenus citatur) *Contra. C. ad Trebell.* Ex quarum ultima consequitur, tempore famis posse ex hoc quadrante, fideicommissio oneratum in detrimentum fideicommissarii tollere, quantum ad explendam suam famem necessarium fuerit: quod limito, nisi defunctus prohibuerit. *per l. 1. C. de SS. Eccles. l. 21. C. mandat. Surd. de aliment. tit. 8. privil. 19. num. 8. Fabrit. ad Gail. 2. observ. 37.*

§. VII. Plane, quod idem Brunnemannus in comment. ad præcedentem Auth. *Nisi rogati.* versic. *Excipitur.* præter exceptiones illas duas quas nos adduximus supra §. 4. adhuc tertiam superaddat, *si Ecclesie restitutio fieri debeat*, illam tu vides, Lector ingenuè, non esse in Authentica Irnerii, sed nec est in Authentico Justiniani. *vid. supra citata Novella 123. caput 37.*

§. VIII. Illud lubentius vidi, non tantum, quod præfatus Brunnem. in commentar. ad legem nostram sextam, filio fideicommissio onerato, deductionem geminæ quartæ, Trebellianicæ & Legitimæ, indulgeat. Sane, quemadmodum hæc sententia confirmatur per ea quæ dixi *lib. 2. aphorism. 164.* ita non de nihilo est, in lege nostra eidem præsidium quærere: Facit id D. Brunneman. modo suo: ego meo. Dico: considerandum est, leges Codicis ad incidentes casus latas esse. In nostræ autem Legis casu, Liberi primi gradus heredes instituti. *ibi: filio vel filia institutis heredibus.* iidemque fideicommissio onerati sunt. *ibi: rogati.* Hoc casu, in quartam Trebellianicam non debent imputari duo, videlicet 1. reditus. 2. portio legis Falcidicæ. *ibi: imputationem. &: idemque* (scil.



non imputari, de quo præcesserat) in retinenda (hæc ergo retinetur, dum scil. non imputatur) legis Falcidie portione obtinere jubemus. Ubi per Legis Falcidie portione, Legitima intelligenda venit, ut bene Brunneman. h. Quod ego ita probo. Dico primum: per Legis Falcidie portione, etiam alibi intelligi Legitimam. vid. l. 31. C. l. 8. ff. de inoff. testam. sed & secundo, in hoc textu d. l. 6. princ. in fin. eo nomine Legitimam venire, patet inde quod textus non loquatur de quarta de legatis detrahenda, ratio, quia agit de fideicommissis. ibi: rogati. sed nec de Trebellianica potest intelligi, ratio, quia de ea jam præcesserat. ibi: quarta pro autoritate Trebelliani. cum ergo de liberis parentibusque hoc in textu agatur, restat ut Legitima hic intelligenda sit. Tu dicis: Atqui in textu tamen tantum dodrans deducitur. Respond. Recte: Dodrans residui: sive dodrans eorum quæ post deductionem legitimæ & redituum supersunt. Quo in responso face præluxit nobilis Belga, Scotanus not. ad examen juridic. apud Cleric. ff. ad SC. Trebell. Quæ ex Pandectis præterea adduci solent, ea refutantur vel ex eo solo, quod lex nostra sexta sit constitutio nova derogatoria juris veteris: de quo videbimus §. seq. Interim notetur: Sententiam nostram de deducenda gemina quarta, quam sententiam omnis Europa, quin & mundus, tanquam Evangelium servat, teste Gailio 2. observ. practicar. 121. limitari tamen ita, ut gemina ista quarta semissem hereditatis non excedat: Ita post DD. Commun. novissime Schragius introduct. ff. ad SC. Trebell. §. 17. in fin.

§. IX. Sed & quod prælaudatus D. Brunneman. d. loc. derogationem Pandectarum agnoscat per Codicem, dum ait: *Queritur, an fructus præcipuos habere debeat? Videtur, quod non: sed quod fructus in quartam imputandi l. 91. ff. ad L. Falcid. l. 8. §. II. ff. de inoff. testam.* Sed noviter hic constituit Imperator, ut in hac specie fructus præcipuos habere filii heres debeat, licet pater contrarium voluerit: ut ita dicto §. II. in quo regula generalis habetur, per hanc legem specialem derogetur. Hæc ille. Gothofredus plane in notis ad d. l. 6. vocem abrogandi usurpavit. Sed derogandi vocabulum præfero: aut si abrogationis magis arridet, accipiendum id est de abrogatione partiali, non totali. Quid? an ergo Codex derogat Pandectis?



Pandectis? Sane ita ego sensi semper, & adhuc sentio. Quoniam generosis nobilissimisque Respondentibus hactenus meis placuit sententiam hanc Corollariis suis defendere, officii mei ratio flagitat ut & ego nactus bellissimam heic occasionem conatibus eorum assistam. Primitus, fateor, huic sententiæ Autorem se mihi præbuit non poenitendus doctor meus magnus Bockelmannus *comm. ad ff. prolegom. §. 4.* Postea cum viderem eandem arrisisse & aliis Viris Summis ( Scotanum tibi nunc tantum allegabo *exam. jur. p. m. 9.* Wissenbachium *comm. Cod. proleg. §. 7.* Lauterbachium *ff. proleg. §. 8.* Huberum *procem. n. 80. & ad tit. ff. de O. 7. n. 8.* & Fibigium *Colleg. Legat. semid. qu. 1.* ) accuratius in ejus fundamenta & veritatem occæpi inquirere, eandemque tandem præ reliquis (sunt enim quatuor hac in parte sententiæ, quas enarrat post Mauritium *de libr. juris commun. th. 14.* Petr. Müller *addit. ad Struv. ff. exercit. 1. th. 69.*) amplecti. Movit me 1. quod Justinianus ipse de Codice testetur, esse inibi aliquid *novum inventum*, ut ita ex præscripto dicti Legislatoris hæc conciliandi Pandectarum Codicisque leges contrarias ratio obtinere debeat, dicendo, in Pandectis *jus vetus esse*, at in Codice *inventum esse jus novum*. Veluti ita constituit Cæsar in *l. 2. §. 15. C. de V. 7. E.* ibi: *Contrarium autem ( Digestorum volumini, de quo §. proxime præcedente 14. præcesserat ) aliquid in hoc Codice positum nullum sibi locum vindicabit, nec invenitur, si quis subtili animo diversitatis rationes excurret: sed est aliquid novum inventum, vel occulte positum quod dissonantia querelam dissolvit & aliam naturam inducit discordia fines effugientem.* Sane si hujus indolis fuit Codex ille vetus Justinianus, de quo textus hic loquitur, multo magis Codex repetitæ prælectionis, utpote post Pandectas promulgatus, simile servabit ingenium. Maxime 2. cum Codex repetitæ prælectionis ideo a Justiniano promulgatus fuerit, ut emendaretur Jus antiquum, ita ut Pandectarum & Institutionum via dilucida & aperta, ope hujus novi Codicis, debeat patere. Ita enim est textus expressus in *Constitut. Cordi nobis est. §. 3.* Quapropter & 3. Justinianus possim in Codicis Legibus testatur, se veteris Juris prudentiæ altercationes placare dubietatesque tollere, ipsasque 4. leges Codicis, suas *novellas*



vellas vocat: *novella* ( verba sunt Excellentiff. Van Eckii ff. de Orig. Juris. pag. 12. ) dicuntur constitutiones, leges, de decisiones post ff. & C. vel etiam ante recens promulgata. v. l. 29. 34. C. de inoff. test. l. 29. in f. C. de testam. Constit. de Nov. Cod. fac. §. 2. Constit. de Just. Cod. conf. Tu adde d. Constit. Cordi nobis est. §. 1. l. ult. C. ad Macedon. ibi: hac nostra novella lege &c. Principaliter autem §. huic sententiae accessi propter fundamentum juris, quod vult leges anteriores contrarias cedere debere posterioribus. l. f. ff. de constit. princip. Cum autem Pandectæ jam valuerint ex die 29. Decembris Anni Christi 533. ut vides in l. tanta 2. §. 23. C. de V. §. E. Codex autem demum ex die 28. Decembris Anni Christi 534. ut apparet ex dicta Constit. Cordi nobis est §. 4. Sequitur sane Codicem toto fere anno Pandectis posteriorem, adeoque istis, si sibi contrarientur, potiore esse. Idque tanto magis 6. quia, an lex una alteri deroget, id omne dijudicari debet ex legislatoris placito atque voluntate §. 6. ibi: quod Principi placuit legis habet vigorem. l. de Jur. natur. adeo ut nequidem prioritas aut posterioritas ( loquar ita ) legum, quicquam huc faciat, si aliter Principi placuerit. arg. d. §. 6. Vid. Ampliff. Stryck. præcognit. cap. 2. §. 23. adeo ut & leges prius promulgatæ, derogare possint, si id legislatori ita placuerit, legibus postea adhuc promulgandis, aut ( ne in voce, derogare, quid captetur ) ut leges posteriores tali casu cedere debeant prioribus: veluti Codex Justinianus derogabat Pandectis postea editis l. 2. §. 15. C. de V. §. E. Ampliff. Huber. præl. ad I. proæm. n. 10. & ad tit. ff. de O. §. n. 8. adeo ut & leges ex eodem die valentes observare debeant illud, nisi appareat voluntas legislatoris aliam legem alii legi cedere debere volentis: Exemplum præbet Codex repetitæ prælectionis, qui sane leges continet, quarum altera alteri, si Justiniano id ita placuisse appareat, cedere necesse habet: vid. l. pen. C. qui testam. fac. poss. &c. Sed & ipsæ Institutiones & Pandectæ, etsi ex eodem die observari debeant, placuit tamen Legislatori, non debere Pandectas observari nisi quatenus cum Institutionibus concordant l. 1. §. II. C. de V. §. E. Dixi 1. aph. 2. & 1. Sicilimentor. 3. Consentit præter alios alibi adductos, Henricus Zæsius proleg. ff. n. 9. & Ampliff. Thomafius schol. ad Inst. Hub. proæm. n. 10. Et  
miremur



mireremur adhuc placuisse Cæsari Codicem Pandectis posteriorem his debere derogare? Quod ipsius placitum elucet adhuc 7. ex experientia, dum exempla innumera licet adducere, quibus Pandectarum jura Codicis sancitis cedere omnino necesse habent. Videamus nonnulla. Sic *Jure Digestorum* (verba sunt Excellentissimi Lauterbachii. prol. ff. §. 8. num. 4.) *matrimonium solvitur de portatione* l. 56. ff. sol. matrim. quod correctum per l. i. C. de Repud. l. 24. C. de donat. int. Vir. & Ux. item, *si mutus aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, à Principe impetraverit, valet testamentum.* L. 7. ff. qui test. fac. poss. quod emendatum *Jure Cod.* per L. 10. C. de testam. item, *Liberi omnia bona, tam adventitia quam profectitia, in patris hereditatem conferre necesse habebant,* L. i. pr. ff. de collat. Secus hodie propter L. f. C. d. t. *Liberi ut sint legitimi, & conceptionis, & partus,* l. ii. ff. de Stat. Hom. *jure vero Cod. non nisi partus tempus inspicitur,* L. ii. C. de Nat. Lib. Ita porro corrigitur L. i. §. i. ff. ex quib. caus. maj. per L. f. C. de temp. in int. rest. *ubi in totum quadriennium annus ille mutatus, &c.* Pergamus. *Exemplo sint* (ait Ampliff. Huber. loc. supr. alleg. g.) *tituli Codicis de bonis maternis, de bonis quæ liberis, nam bonorum maternorum atque adventitiorum proprietates in illis titulis addiuntur liberis, qui in potestate Patrum sunt, quæ in Pandectis pleno jure Parentum erant* l. placet 79. ff. de Acquir. hered. Conf. l. 12. C. de sentent. cum l. 48. D. de re judic. *ubi olim sententia tantum latine, hodie quoque græce proferrî possunt: item* l. i. §. 18. & 19. D. de collat. cum l. ult. C. eod. *ubi, olim adventitia bona conferebantur, hodie non conferuntur.* Colligamus & alia exempla, sed ab aliis jam antea, etsi sparsim, connotata. *Jure Pandectarum Adulterii pœna non est mors naturalis: Est jure Codicis.* Audiamus Vinium ad §. 4. I. de publ. judic. *ibi: Gladio punit.* ad quæ verba præfatus inclutus Juris Sacerdos, *Hæc pœna (inquit) non est ex lege Julia, sed ex l. quamvis. 30. C. h. tit. quæ Constantini est. Pœna autem legis Juliane relegatio fuit, ut constat ex Tacito lib. i. 2. & 3. annal. & non obscure probat l. 5. de quæst. certe capitalem non fuisse, arguunt l. 6. de divort. l. ii. hoc tit. l. 14. de testib. l. 13. de his quæ ut indign. & ipse Justinianus hæc pœnam Constantino tribuit.*

B

Nov. 134.



Nov. 134. c. 10. *Divus Augustinus*, lib. 3. de civ. Dei, *diserte scribit, Romanos adulteras foeminas, quamvis aliqua damnatione, nullas tamen morte multasse. Ut dubitandum non sit, quin l. transigere. 18. C. de transact. & l. 9. C. hoc tit. interpolata sint a Triboniano.* Lustre-  
 mus etiam poenam homicidii: de ea ita Schützius *compend. Lauterbach. ad tit. ff. ad l. Cornel. de sicar. in E. Punitur jure Pandectarum in vilioribus ultimo supplicio: in honestioribus, deportatione l. 3. §. f. l. 16. h. De jure Codicis indifferenter morte. l. 3. C. de episcop. aud. Con-*  
*similiter D. Berger. Antecessor Wittembergens. Resolut. leg. obstant. ad tit. ff. de adoption. quest. 3. An adoptio filiisam. ab extraneo facta transferat patriam potestatem? Neg. l. 10. pr. C. h. Obst. arg. l. 1. pr. ff. h. Resp. juri Pandectarum jure Codicis derogatum esse. §. 2. I. h. ibi: sed hodie.* Alia exempla vide sis apud Bockelm. *prol. d. §. 4. Vinn. ad §. 3. I. de offic. judic. Schütz. d. comp. Laut. p. m. 99. & p. 619. Lauterbach. ff. de cond. indeb. §. 30. Brunneman. ad l. 6. C. ad SC. Trebell. Sed dies hic me deficeret, si singula vellem percensere. Sed nec negant 8. ipsi dissentientes hanc experientiam: Sane mirandum & notandum, & ipsos illos a nobis dissentientes, ubi ad rem ventum est, id est, ubi leges Pandectarum cum Legibus Codicis conciliari debent, ibi & ipsos debere diversitatem inter Jus vetus Pandectarum & Jus novum Codicis agnoscere. Adducamus nunc solum Clariss. Struvium, qui aliquando duo exempla una thesi exhibet, aliquando tria una exercitatione. Ita enim scribit *exerc. 8. th. 41. Olim actio haec, cum pratoria & famosa sit, l. 1. §. 4. h. junct. pr. de perpet. & temp. action. erat annalis, l. 18. in fin. h. t. sed jure novo instituenda & finienda est intra biennium continuum, nec non litis contestatione perpetuatur l. fin. C. h. t. Et rursus aliud eadem exerc. th. 85. Et iterum aliud eadem exercit. th. 103. Et exerc. 33. th. 36. ibi: Substituitur ita liberis mente captis, & ex identitate rationis prodigis, surdis, mutis, neque opus amplius speciali impetratione, ut olim l. 43. h. l. 23. §. 3. de fideic. lib. confer. l. 6. f. l. 7. de test. & l. 10. C. qui test. fac. poss. Quod autem Ampl. Struvius, Actionem de dolo olim de Jure ff. annalem fuisse ex l. 18. in f. ff. de dol. mal. probare gestiit, id ex ea non apparet: Tu vide sis text. in l. 35. ff. de O. & A. Volumus plura ex Struvio? Vid. exerc. 29. th. 28. num.**



28. num. 3. & eadem exercitatione *th.* 34. & 35. Sed in præsens hæc de Experientia sufficient. Nisi hoc unum adhuc addere libeat, inter leges Codicis quibus ipsi dissentientes jus novum respectu Pandectarum contineri asserunt, esse etiam quæ non a Justiniano sed ab alio Legislatore promulgatæ sunt: exemplum præbet D. Struv. *d. exerc.* 8. *th.* 41. de quo modo vidimus. Lex etenim *fin. C. dol.* a Constantino primitèr lata est. Denique 9. me in hanc sententiam pertraxit; quod viderem argumenta dissentientium quibus sententiam nostram impugnare fatagunt, partim elumbia esse, partim falsa. Elumbe est, cum dicunt, Justinianus omnia in Pandectis *sua* fecit. *l. 2. §. 10. & l. 3. §. 10. C. de V. §. E.* At, dico ego, tanto commodius iisdem postea potuit derogare, ut solet in *suis* facere: Sume tibi solas Novellas in specie ita dictas: quid videtur? annon iisdem multa abrogantur quæ Justinianus antea sua fecerat? Elumbe est, cum dicunt, Legum ex Pandectis abrogatarum mentionem non fieri, quod necesse sit cum abrogatio per leges inducitur: *per l. 2. §. II. C. de V. §. E. ibi: ut memores.* Verum, memorem fieri, id non est mentionem alicujus rei facere expressam disertamque, sed recordari ejusdem. Neque necessarium est, ut semper expressis verbis legis anterioris abrogandæ mentio fiat, sufficit placitum Legislatoris aliunde apparere. Falsum est, cum dicunt nihil in Pandectis occurrere juris antiqui: neque id probat *l. 1. §. 10. C. de V. §. E.* ille quippe textus nihil habet nisi jussum Imperatoris. *ibi: volumus. permittimus.* alia autem quæstio est, an imperatorias jussiones executi sint Pandectarum compilatores? Audiamus ipsum Justinianum *l. 2. §. 14. C. de V. §. C. ibi: Si quid autem in tanta legum compositione quæ ab immenso librorum numero collecta est, simile (aut prætermisum §. 16. seq.) forsitan raro inveniatur, nemo hoc vituperandum existimet: sed primum quidem imbecillitati humanae, quæ naturaliter inest, hoc inscribat: quia omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, diuinitatis magis quam mortalitatis est: Vide etiam (quare enim omnia adscribam?) dictæ legis 2. §. 16. Item *l. 3. §. 13. & 16. C. d. r.* Sane uti ipsum spe hac lactatum fuisse, fore ut nihil juris antiqui relinqueretur in Pandectis, certum est, ita spem hanc inanem fuisse, testatur experientia,*



perientia, & agnoscere videtur ipse Imperator dicto §. 16. *ibi: quid prætermisum.* junctis textibus supra adductis, eoque respicit cum Pandectas opus *NB. desperatum* cognominat §. 2. *proem. institut.* Falsum similiter est, Leges Codicis repetitæ prælectionis (de eo enim nunc quærimus) priores esse Pandectis. Sane speciosum hoc argumentum est, quo recentium Studiosorum animi facile occupantur, cum quis novo Juris Studio in Codice commonstrat leges Codicis, easque jam multis annis aut sæculis antequam Justinianus Pandectas ederet, quod factum est A. C. 533., ab aliis Imperatoribus latas esse ostendit, absurdumque esse causatur dicere vel credere, legem ante aliquot sæcula aut annos ab alio Imperatore latas legum volumen post sæcula multosve annos infecutum & ab alio Imperatore promulgatum, posse abrogare. At ego audenter dico, hoc argumentum etsi speciosum, non esse tamen Juridicum: Dico aperte, nullam (præmeditate dico, *nullam*) in Codice repetitæ prælectionis legem esse, quæ non Pandectis posterior sit: Dico, nullam in eodem Codice legem esse, quæ non Justiniani sit. Quod ut & vos, Lectores Candidi, videre & quasi manibus palpare possitis, obsecro candorem vestrum, ut evolvere velitis Constitutionem Justinianeam de Emendatione Codicis, incipientem per verba, *Cordi nobis est:* ex cujus §. 4. apparet, quod leges præsentis Codicis NON SINT EÆDEM ILLÆ LEGES quæ sunt latæ a veteribus Legislatoribus aut prout ex antea in aliis Codicibus comparuerunt, sed quod ex veteribus depromptæ quidem sint, sed cum AUGMENTO, DECREMENTO & TRANSFORMATIONE: profecto, si lex aliqua antiqua postea *augetur*, (aut, ut est in §. 2. dictæ Constitutionis, ei quid *aggregatur*) *imminuitur*, atque *transformatur*: illa non manet lex *eadem*. Leges autem nostri Codicis ita auctas, circumductas & transformatas esse, clarissimis verbis in d. §. 4. perscriptum est. *ibi: omnibus (NB.) circumductis, additis, repletis, transformatis.* Confer. *d. Constit. Cordi nobis est.* §. 2. & 3. Porro ex præfato §. 4. nota, Lector Candide, Leges nostri Codicis non *valere* ex priori compositione, sed ex nova editione quæ A. C. 534. peracta est. *ibi: non ex priore compositione sed ex repetita prælectione:* Confer. iterum *d. §. 3. ibi: quod repetita prælectio probavit, hoc satis validum*



*validum esse.* Ita ut omnes leges Codicis observari debeant ex die 29. Decembris A. C. 534. *ibi: ex die quarto Kalendarum Januarii.* Denique ex dicto §. 4. nota, Leges Codicis non amplius valere debere prout olim ab aliis Imperatoribus, Theodosio, Zenone, Alexandro, Diocletiano, Gratiano, Gordiano, aliisque, latae sunt, sed omnes indistincte leges Codicis debere nunc *solius Justiniani numinis autoritate nitere*, id est, omnem autoritatem, omnemque splendorem & nitorem, a solo habere Justiniano non ab Autoribus primis. *ibi: nostri Numinis autoritate nitentem.* Sumamus, ad majorem veritatis evidentiam, exempli loco, legem nostram 6. C. ad SC. Trebell. quæ discursui huic ansam dedit. Hæc a Zenone primitèr A. C. 489. lata est: teste inscriptione & subscriptione: Dixi, *primitèr*: Neque enim existimare debes eandem legem 6. C. ad SC. Treb. *adhuc* Zenonis esse, aut eam *adhuc* valere ex anno Christi 489. Hæc lex nunc Justiniani est, non Zenonis: valet ex repetita prælectione a die 29. Decembris A. C. 534. Minime vero ex anno 489. Tu dicis, quid ergo faciunt inscriptiones illæ & subscriptiones Legum Codicis? Respondeo, idem quod inscriptiones Legum in Pandectis, de quibus audi Justinianum in l. 2. §. 10. C. de V. J. E. *ibi: Tanta autem a nobis antiquitati habitæ est reverentia, ut nomina prudentum taciturnitati tradere nullo patiamur modo, sed unusquisque eorum qui auctor legis fuit, inscriptus est &c. & postea: etsi Imperialis Constitutio fuerat. Ergo in Imperialibus Constitutionibus eadem est ratio. Labet addere verba Excell. Zaunschlifferi tr. de transact. nocturn. p. 8. ibi: Cæterum quare nomina Imperatorum hic & alibi (legibus Codicis) sint præfixa, ratio etiam desumi potest ex eo quod dicit Justinianus in l. 2. §. 10. C. de V. J. E. se tantam habuisse reverentiam antiquitati, ut nomina prudentium taciturnitati tradere nullo modo passus fuerit, sed unusquisque eorum qui auctor legis fuerit, Digestis inscriptus sit: Quod tanto magis in Viris Principibus observantum fuit, quando certius est juxta illud Taciti IV. Ann. cæteris mortalibus in eo stare consilia, quod sibi conducere arbitrentur, Principum diversam sortem esse, quibus præcipua horum ad famam dirigenda. Cætera enim (ait. idem Tac. ibid.) Principibus statim adsunt, unum insatiabiliter*



liter parandum, prospera sui memoria: nam contemptu famæ virtutes contemnuntur. Potest & alia ratio movisse Imperatorem, quare nomina veterum retinuerit, ut scilicet abs se amoliretur invidiam populi, quasi novis legibus & tanta quidem novi juris mole subditos niteretur gravare, quod non potuisset periculosissimum videri. *add. l. 2. ff. de constit. Princ.* Concludo ergo: Quemadmodum leges ff. non valent amplius ex eo tempore quo Ulpianus, Papinianus, Paulus, aliive Jcti primum eas protulerunt, sed ex solius Justiniani autoritate & ex eo tempore quod Justinianus Pandectas promulgans præfixit: eodem plane modo leges Codicis non debent considerari nisi ut Justinianæ & tanquam a Justiniano interpolatæ, circumductæ, auctæ, noviter latæ. *Vid. d. §. 3. & d. §. 4. Constitutionis Cordi nobis est.* Ex dictis autem sequitur, valde incaute Doctores illos loqui, qui cum verba aliquot ex Codice citant, dicunt: *ut vult Constantinus in illa lege: vel: prout Zeno loquitur in lege illa: item: verba sunt Alexandri in lege illa: aut: secundum Arcadium, Honorium, Diocletianum &c. in lege illa vel illa.* & ita porro. Nam unde tu nostri ista verba, quæ tu ex Lege aliqua Codicis citas, esse Constantini, Zenonis, Arcadii, &c. Aut quis dixit tibi, non esse illa verba Justiniani? Justinianus enim in legibus Codicis de suo multa *addidit*: ut diserte ait *dict. Const. Cordi nobis est. §. 4.* Sequitur porro Leges Codicis, etsi aliorum Cæsarum præfixa habeant nomina, omnes esse Justiniani Leges. Ex. gr. Lex. 22. C. de testam. item lex 17. C. de Collat. nec non lex 29. C. de inoff. testam. Hæc inquam tres leges non amplius sunt Zenonis aut Leonis leges, etsi eorum nomina ibidem præfulgeant, sed solius Justiniani leges: unde & Justinianus dictas tres leges, *suas* constitutiones vocat. *Vid. §. II. ibi: NB. nostra. I. de testam. §. ult. ibi: nostris I. de inoffic. testam.* quos adeo duos paragraphos institutionum non intellexit Vinnius in notis suis ibidem dum ita scribit: *add. §. II. (ibi: nostra constitutione) non extat: Sed Zenonis hac de habemus in l. 22. C. h. t. & ad d. §. ult. (ibi: nostris constitutionibus) Non extant: Et forte nostris irreptitium est fac. l. 17. C. de collat. junct. l. 29. C. h. t. quarum altera Leonis, altera Zenonis est.* Sequitur porro Leges Codicis omnes & singulas valere  

ex eodem



ex eodem die: ita ex. gr. Lex 2. C. de alim. pupill. prest. reputari non debet quasi lata A. C. 224. (quem alias annum subscriptum habet) sed ex repetita prælectione Justiniani de A. C. 534. Unde iterum consequitur, male distingui, quantum ad potestatem derogandi legibus ff., inter 50. decisiones & cœteras Constitutiones Codicis: Prout enim nunc sunt a Justiniano mutilatæ, auctæ, circumductæ, atque transformatæ, ita nunc solius Justiniani Numinis autoritate nitent atque ex eodem die valent. d. Const. Cordi nobis est. §. 3. & 4. Unde corrui visio dissentientium, distinguendum inter Leges Codicis Justinianeas, & non Justinianeas: cum omnes Codicis Leges, sint Justiniani Leges. Sequitur denique errare eos, qui negant emendationem Codicis simul factam respectu Pandectarum & Institutionum. vid. d. Constit. Cordi. §. 3. ibi: *ut undique non solum Institutionum & Digestorum via dilucida atque aperta pateat sed etiam &c.* Cæteris parco. Non dubito autem, quin retro dicta omnia conjuncta sententiam nostram, *Codicem derogare Pandectis*, satis stabiliant: Non dubito quin candidus Lector unum alterumve inventurus sit quod *gladium ad radicem* contrariæ sententiæ ponat, ut alibi loquitur Franciscin. Curtius Sen. I. consil. 75. in fin. Certe hanc sententiam confirmat Praxis sive usus fori, de quo in testimonium citabo testes omni exceptione majores duos: unum, Ducatus Würtembergici quondam Directorem & Antecessorem Tubingensem præclarissimum: D. Wolfgangum Adamum Lauterbachium *conclus. forens. I. th. 13.* alterum in supremo Augustæ Cameræ Imperialis Judicio Assessorem eminentissimum & antea Antecessorem Chiloniensem, D. Ericum Mauritium, *tr. de libris juris comm. th. 14.* utrumque præmature fato functum, sed immortalitate dignum. Quis excellentissimis practicis de praxi (quæ ipsis *panis*, ut ita loquar, *quotidianus* erat) testantibus, fidem denegat? Tandem gratulor mihi, consentientem me invenisse magni nominis Jctum D. Henricum Coccejum *hypomnem. juris. proem. §. 6.* cujus profecto autoritati non parum deferendum est, non tantum propterea quod splendidissimis apud Serenissimos Electores Brandenburgicum atque Palatinum functionibus, trium  
etiam



etiam cathedrarum Universitatum illustrium Heidelbergensis, Ultrajectinae, & Francofurtensis decore, merito suo præfulget, sed & quod sententias quas sequitur antea ad trutinam dextere expendat, (dissertationes ejusdem vel novissimas antestor) antequam iisdem assensum præbeat, ob oculos, ut puto, habens illud Senecæ de vit. beat. C. 1. ibi: *Nihil ergo magis præstandum est quam ne, pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non quaerendum est, sed qua itur.* Conf. Petr. Müller. *addit. ad Struv. Syntagm.* 1. 69. b. Adhuc antequam hinc abeam, addam quædam ex Lauterbachio quæ superiora illa nostra, cum dicebamus omnium indistincte Codicis legum eandem auctoritatem esse, egregie confirmant aut illustrent: ita autem præfatus illustris Juris Sacerdos Prolegom. ff. §. 8. num. 3. & num. 4. *Verum, cum totus Codex repet. prælect. pro una eademque lege habeatur, Goehaus. alias dissentiens. p. 2. peric. Acad. 1. Q. 2. idem utique jus continet. Alb. Gentil. L. 5. c. II. de nupt. & de Libr. jur. Civ. c. 6. Hunn. de auth. jur. Civ. c. 3. q. 1. p. 214. Hic equidem non in subsidium vocanda est series, qua scriptis, nec attendendum est tempus prima, sed secunda, & posterioris tantummodo editionis: quando sc. LL. Cod. Decisiones aliaque Constitutiones una & conjunctim Codici nostro insertæ, & ex quo unam vim LL. acceperunt, in quem sensum verba expressa sunt Imperatoris, in §. 3. §. 4. & §. 5. d. Const. Cordi nobis est. add. omnino d. Concl. Forens. Exerc. 1. th. 13. e. gr. Recessus Imperii dubio procul, cetero posteriores, vim habent derogandi LL. Codicis; sin Imperator cum Imperii statibus, emendatis & transformatis hucusque usitatis juribus, alium atque recentiore Codicem de novo approbaret, annexa conditione, quod post definitum tempus jus inde redderetur, & omnia tanquam sua ex ultima hac editione valere deberent, quis dubitaret, quin talis Codex jus esset novum, & ipsis Imperii Recessibus derogaret. Aliud exemplum suppeditat Crus Papinianus: Quidam inierunt Emt. Vend. Contractum, sed postmodum aliter conveniunt, quod scilicet non prior, at renovata emptio post menses valere debeat. L. 72. ff. de Contrah. Emt. est enim quasi novata obligatio, quæ a priori diversa. per vulg. Placet hic addere verba Alb. Gent. d. c. 13. Falluntur certe in eo, qui distinguunt Codicis LL. & 50. Decisiones, quas*

additas



additas volunt in illa emendatione post Institutiones, sed in reli-  
 quis sit Codex antiquior; & porro. Est igitur novus, quem habe-  
 mus, Codex, idem ubique, & idem Jus habet ubique. Quid? Si  
 Codex a Digestis dissentiret extra illas 50. Decisiones, Jus Digesto-  
 rum, veluti Codice priore posterius, in aliis prævaleret? nus-  
 quam lectum, nusquam auditum; Tene igitur Codicem sibi pa-  
 rem esse ubique, & jus recentius Jure Inst. & Pandect. sic autem  
 tenendo defendes multa impugnata, expugnabis etiam defensata.  
*hæc ille.* Posses addere plura. Veluti, incertum esse, an ulla ex de-  
 cisionibus vel constitutionibus Justiniani Codici inserta sit: *arg.*  
*§. 5. dictæ Constit. Cordi nobis est.* Vid. Excell. D. Rhet. I. *meditat.*  
*Academ. 15.* quod sane ultimis illis ex Lauterbachio, nostrisque  
 supra adductis, valde amicum est. Sed longior jam fui quam initio  
 volebam. Nunc humanitatem tandem tuam imploro Lector A-  
 mice, ut in meliorem partem interpretari velis quod quæstioni  
 huic ad Irnerium injuria vapulantem alias non pertinenti largius  
 indulserim. In Coitionibus sequentibus compensare hanc proli-  
 xiosem excursionem licebit brevitate: Enimvero quæ apud D.  
 Wissenbachium restant, ea maximam partem eo tendunt ut demon-  
 strare nitatur Vir Clariss. Authenticas alieno loco positas esse:  
 quod tamen non existimo, nec dicendum est, ut docebit

## COITIO DECIMA QUARTA

ad

*AUTH. ET CONSEQUENTER. C. DE SEN-  
 TENT. ET INTERLOCUT.*

**H**Æc Authentica (judice Wissenbach. *d. Syllog. th. 29.*) hete-  
 rogenea est, respectu *l. 14. C. d. t.* cui subjicitur, cum Au-  
 thentica de mutuis petitionibus sive reconventionem agat, at dicta  
*lex 14.* de casu quo ex eodem negotio, non duobus, actor con-  
 demnandus venit.

§. I. At vero respondeo I. si vel maxime *d. l. 14.* de mutuis pe-  
 titionibus non ageret, Authentica tamen aptissime subjicitur ra-  
 C tioni



tionem legis, et si non ejus casui: rationi decidendi, et si non decisione ipsi. Casus & decisio est in his verbis legis: *Cum Papinianus summi ingenii vir, in questionibus suis rite disposuerit, non solum judicem de absolute rei judicata, sed & ipsum actorem, si e contrario obnoxius fuerit inventus, condemnare: hujusmodi sententiam non solum roborandam, sed etiam augendam esse sancimus: ut liceat judici vel contra actorem ferre sententiam: & aliquid eum daturum vel facturum pronuntiare, nulla ei opponenda exceptione, quod non competens iudex agentis esse cognoscatur.* Ratio decidendi exhibetur in fine legis his verbis: *Cujus enim in agendo observat arbitrium, eum habere & contra se invicem in eodem negotio non dedignetur.* Huic rationi subjicit Irnerius hanc Authenticam: *Et consequenter ego ab aliquo conventus, si vicissim ipsum pulsare velim, statim quidem hoc non licet nisi apud eundem judicem, qui si displiceat, intra viginti dies recusari potest, aliusque mereri apud quem rursus utrumque negotium ventilatur. Alioqui lite contra me mota prius ventilata & terminata, tunc demum & ego admittar.* Consequenter, ait Irnerius: quasi dicat, si dicta ratio decidendi procedit, sequetur ex eadem ratione porro, quod convenientem me reconvenire possim: cum ubique eadem ratio, dicta scilicet illa in precedentis legis fine collocata, magnam partem militet.

§. II. Quin & 2. quid obstat, quominus & ipsa dicta lex 14. de mutuis petitionibus accipiatur? Certe quod Clariss. Wissenbachius (præeunte tamen Cujacio in expos. Novell. 96.) existimat id non pati verba illa legis: *in eodem negotio.* id nihil est. *Negotium enim, processum* hic denotat: pari modo ut in l. 7. C. de jur. & fact. ignor. & in illo Plauti: *Facinus audax incipit qui cum opulento pauper cepit rem habere aut negotium: Aulul. 3. 4. 2.* Ut tum per hanc Legis phrasin fundetur beneficium istud simultanei processus, sive ejusdem instantie, quo reconveniens gaudet: Quis enim nescit Conventionis & Reconventionis judicia pari passu agitari, et si actoris conventio ceu primi & principalis litigatoris per singulas iudicii partes primo loco, mox Reconvenientis tractetur, una terminandæ sententia. Carpzov. 1. 7. defin. 1. & 2. respons. 39. Ummius process. 10. n. 6. Rittershusius 9. Novell. 17. Fabrit. ad Myns. 1. observat. 10.



var. 10. Zanger. *de except. 2. cap. 1. num. 384.* Brunnem. *ad l. 14. C. h.* quod tamen limitatur, si de utraque causa pariter constet. Struv. *ff. XXI. 32.* si enim una celerem desideret expeditionem: Thoming. *decis. 16.* vel de una prius liqueat quam de alia, vel reconventor non pergat in reconventionem, tum nihil obstabit quominus ad decisionem unius causæ Judex recte procedat. Fabrit. & Zanger. *locis allegatis.* Maranta *specul. 4. 6. II.* Molignat. *de reconvent. q. 89. p. m. 148.* Brunneinan. *ad l. 14. C. h.* add. notabil. D. Textor. *decis. Palat. 32.*

§. III. Ut adeo stante hac explicatione nostra, Authenticæ nostræ connexio respiciat verba legis: *eodem negotio.* Ut sensus sit: *Conventio & Reconventio peraguntur eodem negotio. l. 14. in fin. C. de sent. & interloc.* Sed qui beneficio simultanei processus vult gaudere, is consequenter ergo observabit sanctionem juris novissimi, quæ vult ut reconventio statim (sive *mox a principio*, ut est in *Novell. 96. c. 2.*) proponatur: alioquin expectare debet donec lis contra ipsum mota prius terminata fuerit. *Auth. & consequenter. C. d. t.* Cum enim reconventio ex post proponitur, effectum quidem habet Jurisdictionis prorogativum, sed non simultanei processus: ita Rittershusius, Zanger. Brunneinan. *locis supr. allegatis.* & Doctores communiter: Sed qui partim effectum illud suum, de effectu Jurisdictionis prorogativo, textu ullo aut ratione ulla fulcire pigrantur, partim tales allegant quæ facili negotio possis refutare: saltim id facere annitur Ummius *Process. d. loc.* Et tamen non tantum Praxis, *vid. Umm. d. loc.* sed & Irnerius in *Auth. nostr.* videtur Doctorum communi scholæ favere: Enimvero verba Authenticæ: *Alioquin lite contra me mota, prius ventilata & terminata, tunc demum & ego admittar.* relata ad ejusdem Authenticæ verba: *apud eundem judicem:* quid aliud quam effectum præfatum prorogativum innuunt? Verosimile ut adeo sit, esse & aliquid in ipso Authentico, in *Novella inquam 96. capite 2.,* quod Irnerio ita sentiendi ansam præbuerit. Et sane ita est: ibi: *Si itaque tacuerit deinde postea voluerit causam apud alium judicem movere.* Quibus in verbis ista: *Si voluerit:* innuunt, in arbitrio & voluntate reconvenientis esse an alium judicem convenire an vero eundem retinere malit. Cui observationi si jungas textum notum



*in c. 3. de rescript. in 6.*, qui indistincte eosdem iudices conventionis reconventionisque, si modo durante eodem iudicio reconventio proposita sit, admittit, nihil impedit quominus sententiam communi Doctorum Forique calculo approbatam ex veritate etiam theoretica sustineamus. Sane quod Ummius *d. loc.* ait, ineptum esse ut accessorii (Reconventionis sc.) ratio habeatur, cum principale (Conventio) exspiravit: istud, inquam, ineptiarum facile absolvitur cum quis cogitat in iure novum non esse ut accessorium aliquando superet, extincto principali: quis nescit, actionem hypothecariam aliquando decem annos durare ultra actionem e.g. mutui cui accessit? cui latet, legata, fideicommissa, aliaque testamenti accessoria aliquando subsistere enervato licet ipso testamenti capite atque fundamento, heredis sc. institutione?

§. IV. Commode hic quaerit D. Wissenbach. *syll. error. Irner. th. 30.* quo ergo tempore Reconventio sit proponenda? Plerisque, ait, placuit, ante vel paulo post proponendam esse. Sichard. *ad Auth. nostr.* Gudelin. *4. jur. noviss. 8.* quod intellige, ad consequendum effectum simultanei processus. Quinimo communis nec irrationabilis nec a textu Novellæ abhorrens sententia videtur, debere reconventionem statim ante litem contestatam proponi, cui tum etiam in continenti post litem contestatam & responsionem ad libellum actoris factam debet respondere actor reconventus, ut ita pari passu utraque causa ventilari possit. *d. Nov. 96. c. 2. ibi: mox ab initio. & Auth. nostr. ibi: statim.* vid. Berlich. *1. conclus. 22. num. 52.* Brunneman. *ad d. l. 14.* Cum tamen connexa pro iisdem reputentur: *l. 21. C. de neg. gest. l. 37. §. 1. de admin. tut. l. 13. l. ult. ff. de reb. dub. Marpurgens. 3. consil. 29. n. 32. seqq.* & in talibus præposteratio non obsit: *arg. §. 34. l. de legat. & ibi DD.* tum & cum quod statim post litem contestatam fit, etiam mox in principio fiat, Berlichii, Brunnemannique modo visam sententiam, ut idem sit statuendum si Reconventio litis Contestatione incontinenti subjecta sit, intelligerem.

§. V. Sequitur tertia Irnerii defensio. Dicam enim, si nihil ex superioribus mihi concedere præfracte gestis, illis verbis textus: *in eodem negotio*: significari, reconventionem olim non nisi in connexionis



nexis causis obtinuisse. Connexa negotia enim synonymice eadem negotia appellari posse, sequitur ex iis quæ jam repræsentavi §. præced. At jure novissimo etiam in diversis causis reconventioni locum esse, indicare videntur verba illa: *in utroque negotio: Nov. 96. c. 2.* quibus duo negotia denotantur: si duo, ergo non connexa, nam hæc pro uno eodemque reputantur. §. præc. Quibus admissis, connexio Authenticæ iterum respiciet rationem *d. legis 14. versic. cuius enim.* Cui subjicit Irnerius Authenticam: *Et consequenter quasi dicat: Si in connexis obtinet, quare non & in causis diversis?* cum reconventionis ratio non in connexitate causarum, saltem jure novissimo, consistat, sed in *arg. rubrit. ff. quod quisque juris in al. statuer.* cum quis arbitrium elegerit alicujus in agendo, eundemque observare discupiat pro se, cur eidem contra se confidere dedignetur? Saltim in diversis etiam causis reconventionem admittit communis Doctorum Schola, etsi textus tantum (quod sciam) generalitate mota. vid. *Umm. d. disput. 10. th. 4. num. 13. Carpzov. 1. 7. defin. 1. num. 4. Struv. ff. 21. 32.*

§. VI. Possit adhuc quarta Irnerii defensio addi, ex Giseberto, qui *tr. de reconventione c. 13. num. 2. referente Ummio d. disput. 10. num. 13. voluit, quasi verba (eodem negotio) ad propositæ consultationis questionem referenda sint.* Sed admitti hoc non potest, (secundum Ummium *d. loc.*) propterea quod ibi *Imp. non consulenti rescribat, sed præfecto prætorio generaliter ostendat, quid deinceps in reconventionem fieri velit.* Illud dicemus, postquam id verbum proprie accipi non potest, hoc velle Imperatorem, quod quis contra se illum judicem repudiare non possit, si forte reconveniat a suo reo convento, cuius in agendo observet arbitrium. Atque ita referemus vocabulum negotii, non ad ipsam causam controversam, sed ad instantiam, ut sensus sit, actorem, si in illa instantia, qua reum conventum urget, judicis arbitrium approbat, etiam approbare debere in eodem negotio, id est, si ipsi vicissim lis moveatur a reo convento. Quomodo ille text. communem illam *Dd.* opinionem non oppugnabit, sed propugnabit potius. Hæc Ummius. Cujus sane explicatio valde accedit ad nostram illam secundam supra §. 2. 3. & 4. propositam.



COITIO DECIMA QUINTA

ad

*AUTH. SI QVIS VULT CAUTE. C. QUI POSTIOR. IN PIGNOR.*

**H**Anc a lege II. C. eod. cui subjecta est, alienam esse, existimat Wissenbachius *Syll. thes.* 32. Ego non. Dictum quippe fuerat in *d. l. II.* hypothecam, quæ instrumento privato a tribus testibus subscripto constituta sit, æquiparari publicæ: consequenter hanc, si posterior sit, non præferri isti, ut alias fit cum instrumento privato trium testium subscriptio non accessit. Ne cui mirum videatur in adhibitione trium testium tantum ponderis, tantum cautelæ esse, subjicit Irnerius Authenticam ex jure novissimo *Novell.* 73. qua itidem instrumento a tribus testibus subscripto cautio major tribuitur quam ei quod trium testium subscriptione destituitur: enimvero istud, cum necessitas flagitaverit, sume testes mortuos esse, comparisonem literarum admittit, quod in hoc secus est. *d. Nov.* 73. *cap.* 2. & 4. quin in genere definitur, hoc instrumentum fidem non mereri, ceu tamen illud. *d. c.* 2. ut cautela practica sit cum qui in scriptis vult caute contrahere, adhibere debere tres testes, cum sola scriptura, si illam reus suam esse negaverit (alias enim præsumtionem veritatis & solennitatis pro se habet §. II. & 16. *I. de inutil.*) nihil probet: veluti illam cautelam in tractatum suum de Cautelis Contractuum adducendam censuit D. Strijckius 2. 7. 9.

§. I. Potuisset etiam alio exemplo uti Irnerius ex Jure novissimo *Novell.* 117. *c.* 5. ubi maritus suspicatus Titium forte uxoris suæ pudori sive castitati illudere, si contestationes Titio scriptas miserit tres habentes testimonia trium virorum fide dignorum, & postea eundem Titium inveniat uxorem suam domi suæ vel uxoris vel Titii illius vel in popinis vel in suburbanis convenientem, libere talem Titium propriis manibus occidit. Existimat quidem Schützius *compend. ff. Lauterb. tit. ad L. Jul. de adulter.* hanc interfectionem non posse fieri sine scrupulo conscientiæ: Sed nescio  
quis



quis scrupulus conscientiae adesse possit, cum quis, vicaria quasi Majestatis opera, executionem in talem, qui ter per trium testium interventum monitus in peccato perseverat: maxime cum in ita monito perseverantia & obstinatio animi appareat, quae emendationis spem tollere videtur. Plane ratio, quod maritus occidens vicarium haecenus Majestatis agat, videtur velle, huic privatae occisioni locum non esse iis in terris ubi Majestas adulteros morte puniri non vult, pecuniariam forte aliamve arbitrariam non capitalem irrogans: Sane ita in Belgio, Clivia & Marca mitigari poenam adulterii, testis est Ampliss. D. Feltman. *tr. de juram. perhorresc. cap. 31. n. 21. & in Instir. juris noviss. tit. ult. §. 4.* Secus atque in Marchia. Ampliss. D. Coccejus *tr. de fallacib. criminum. indic. sect. 2. §. 34. add. Sicil. manip. 1. num. 105.*

§. II. Coeterum est & aptissima alia Authenticæ nostræ *Si quis vult caute*, cum *d. l. II. C. qui por. in pignor.* connexio, apud Donnellum *comment. ad d. Authent.* cujus scrinia nolim compilare: interim compendiario eundem, etsi omisso nomine, sequitur Brunne-  
neman. *comm. ad d. Auth.* adducto tantum Rittershusio 9, *expos. Novell. 25. num. 1.*

## COITIO DECIMA SEXTA

ad

*AUTH. QUOD OBTINET. ET AUTH. AT QUI SEMEL. C. DE PROBATIONIB.*

Quam vellem autem Cl. Brunnemannum quam apud Irneria-  
nos manes superiori apologia iniit gratiam, infelici alibi  
censura non corrupisse! Talis est ejus strictura ad *Auth. Quod ob-  
tinet. C. de probat.* quam rectius legi *10. C. comm. utr. judic.* quam  
legi *6. C. de probat.* subjectam fuisse, existimat, *comment. ad d. l. 6.*  
post Giphanium scil. *ad d. l. 6. & Wissenbachium nostrum Syllog.*  
*th. 15. 16. Rittershusiumque promiss. th. 24. & 6. exposit. Novell. 7.*  
*num. 3.*

§. I. At ego vero, quemadmodum praedictam Authenticam di-  
ctae



Etæ etiam legi 10. C. comm. utr. jud. subjici potuisse inficias ire nolim; ita tamen dictæ legi 6. C. probat. etiam commode subjectam esse, quin & majori cum eruditionis & ingenii Irnerii ostentatione, quam si priori legi illi decimæ subjecta fuisset, contendo. Enimvero cum dictæ legi decimæ (quæ vult *descriptionem bonorum a defuncto factam heredibus non nocere*) per jus *Novella 48. cap. 1.* (ubi id limitatur *nisi interposito jurejurando facta sit ista descriptio*) derogatum esse quilibet strenuus juris cultor facile pervideat, voluit Irnerius juris hujus novelli effectum usumque etiam alibi, ubi ille ita in omnium observationem non incurreret, ostendere. Cum etenim *in d. l. 6.* scriptum esset, testamentum defuncti non probare *quantitatem* debiti: Irnerius, respiciendo ad illa textus: *certam pecunie quantitatem.* (confer. ibidem supra: *quantitatis.*) dictæ legis generale effectum recte limitat ex jure novissimo, nisi scilicet jurato istam quantitatem designaverit testator, tum enim ista quantitas in præjudicium heredis probatur per testamentariam juratamque illam defuncti designationem. Tu dicis: At *Novella* tamen ipsa de tali casu non agit, quo testator scripsit sibi deberi, sed de testatore qui scripsit bonorum suorum modum. *Brunneman. d. loc.* At ego dico, testator qui bonorum suorum modum scribit, sive, ut sunt verba *Novellæ*, qui *substantiæ suæ mensuram testamento facit manifestam*, is utique & debitorum suorum mentionem facit, neque enim obligationes extra bona sunt sed bonorum pars. *l. 49. V. S.* Unde quamvis expressis verbis casus *d. legis sextæ* per *Novellam 48.* non limitetur, fit id tamen vi ipsa, sive per consequens, cum mensura omnis substantiæ describi nequeat nisi describatur & quantitas sive mensura debitorum. Quod juvatur per verba textus: *ibi: & alia similia discutere & perscrutari.* Sane cum hanc consequentiam limitationemque juris *in d. l. 6.* omnes ita confestim non animadvertant, prudenter Juris Cultoribus in eo consuluit Irnerius quod *Authenticam nostram* huic potius loco quam alii subnectere amavit. Interim notetur hoc loco exceptio regulæ illius vulgatæ: *Scriptura privata probat plene contra scribentem.* *Struv. ff. 28. 24. Limita: quoad designationem bonorum a testatore absque juramento factam, quæ heredi (qui una cum defuncto persona quodammodo*



*dummodo est: Nov. 48. pr.) non nocet. d. Nov. 48. c. 1. Cujus exceptionis rationem habes apud Wissenbachium h. th. 16. sitam in fragilitate humana quæ mortis præcipue cogitatione perturbata minus memoria potest res plures consequi l. 8. C. qui test. fac. poss. delirium ut tum etiam sapissime incidat in cujusvis vel prudentissimi animum, maxime cum sese in confinio horæ ultimæ, ne dicam in peculio quasi ( ut cum Comico loquamur ) Proserpina, constitutum cogitat.*

§. II. Illud pervulgatæ, utilissimæ tamen, observationis est, quod cum ex lege nostra sexta regula elicitur: *Scriptura privata pro scribente non probat*: illa secundum mores limitetur quoad mercatorum libros, qui semiplene probant modo concurrant requisita moribus exacta, quorum quatuor exhibet Schutz. comp. Lauterbach. ff. de fid. instrum. in H. intus: Videlicet 1. ut mercator sit vir integræ famæ. 2. Ut rationes contineant data & accepta: si ve debet & credit, ut loquuntur: qua tamen in parte conditionis peritiæque hominum rationem habendam esse, monet D. Huber. præl. ff. de fid. instr. num. 19. 3. Ut contineant causam debendi: ita ut non sufficiant repetita illa nude, *item, item*. Idem d. n. 19. 4. Ut ab ipso mercatore sint scriptæ: ex Gailio 2. Obs. 20. sed cum præfatus Schützius addit: (vid. Carpz. p. 1. c. 17. def. 35.) eo ipso innuit, dissentire de hoc quarto Carpzovium, perindeque ex veriori sententia esse si ve ipse mercator scripserit si ve institor ejus aut uxor mercaturæ socia. D. Huber. d. n. 19. Struv. ff. 28. 25. Loco igitur hujus quarti requisiti dic, requiri ut exprimatur tempus quo res acceptæ sunt. Carpzov. d. loc. num. 7. D. Huber. d. loc. Struv. d. loc. nisi tamen modica sit omissio ex qua non resultet incertitudo. Esbach. d. loc. Sed & 5. requiritur, ut liber ille mercatorum sit pragmaticus, non tumultuarius in quo quovis modo res incursum annotantur. D. Huber. d. loc. Esbach. d. loc. Quin & 6. ut annotationes pertineant ad negotiationem illam in quo occupatus est mercator. Gail. d. loc. Brunneman. ad d. l. 6. C. prob. D. Huber. d. loc. Rationem quare mercatorum libri hoc privilegio gaudeant, adducit Schützius d. loc. *Quod multorum, ait, fidem sequi debeant.* Quibus verbis potest dici vel intellectam esse illam Carpzovii d.

D

loc.



loc. num. 4. ibi: *Quod mercatores quibusvis mercium suarum ematori-  
bus sine chirographo fidem habere soleant ut tanto equius sit ex adver-  
so quoque plus fidei libris illorum adscribi. vel hanc D. Huberi, d. loc.  
ibi: Postquam nomina contrahendi vetus ratio, quæ collatis rationi-  
bus fiebat, obsoleta est, nec in mercatura, quæ confertim exercetur,  
chirographa identidem commutari possunt publica necessitas hunc mo-  
rem sane quam periculosum invexit.*

§. III. Plane eodem consilio, de quo diximus §. I. videtur *Auth.  
At qui semel. C. de probat.* subjecta fuisse *legi 19. C. eod.* Etsi enim  
& ad titulum de *Testibus* collocari dicta Authentica potuisset &  
quidem convenientius, secundum Cl. Wissenbach. *d. syllog. th. 18.*  
prudentius tamen post dictam *l. 19.* in titulum de probationibus  
eam intrusit Jctissimus Irnerius, utpote cum dictæ alioquin legis  
*19.* notabilem limitationem non omnibus ita primo obtutu patere  
posse, facile perspiceret Vir sagacissimus: adeo *rara mens intelli-  
git quod interiore condidit cura angulo,* ut jam olim Phædrus. Sci-  
licet: in dicta *l. 19.* continetur talis regula: *Postquam actor inten-  
tionis sue probationes proposuit, reus ad probationem exceptionis sue  
dilatatoria initio litis propositæ admittitur.* At Authentica exhibet li-  
mitationem, ita ut reus per testes probare exceptionem suam ne-  
queat: *si testificata didicerit.* Confer. Sichard. prælect. ad hanc Au-  
thenticam, quam ibi summat, illustrat, ampliat, & limitat. Unde  
*qui caute volunt agere (ait idem d. l.) si viderint judicem festinare  
ad publicationem testium debent protestari publice se in illam publica-  
tionem non consentire, quæ protestatio publicationem faciet penitus  
nullam, quot est notandum in practica.*

## COITIO DECIMA SEPTIMA

ad

*AUTH. DOS DATA. C. DE DONAT.*

*PROPT. NUPT.*

**J**ustinianus in *l. 20. pr. C. d. r.* Suas Leonianasque varias circa dotes  
& donationes propter nuptias latas leges, interpretationem a-  
liarum ambiguarum continentes, commemoraverat. Oppor-  
tune



tunc hic Irnerius inferendum censuit jus aliud Justiniani novum ex *Nov. 91. c. 2.* quod ad interpretationem aliarum itidem legum mire faciat. Sume enim, maritum moras neccere in præstanda donatione propter nuptias promissa, heic quæstionis est, an uxor ipsum ad præstationem talis donationis possit constringere? Distinguit Irnerius: aut dos ab uxoris parte est data, aut nondum est data. (Emphasis enim in hac Auth. est in voce: *data.*) Priori casu, decidit affirmative. Posteriori casu, subdistinguit Irnerius: aut enim a parte mulieris adest mora, quod dos ab ipsa nondum sit illata, aut non adest, sed per maritum stat. Hoc casu exigi donatio poterit: non, illo.

§. I. Ex his tu vides, Lector, Irnerium non tractare quæstionem, quam th. 19. proponit D. Wissenbachius, scil. an dote data necessario donatio ante nuptias etiam non promissa a viro constituenda sit? At ubi Irnerius scriptum reliquit, se Authenticam suam de donatione non promissa intellectam velle? Argumenta igitur Wissenbachii nihil faciunt contra Irnerium: interim sentio cum communi Schola, etsi non per hanc Authenticam. Dixi 2. *aphor. 74. seq. & de jure filior. membr. 4. n. ult.* quæ huc non repeto, unum saltem addens.

§. II. Cum enim *ibidem* dixerim, Uxorem in rebus propter nuptias donatis non nisi hypothecam consequi, tu cogitare posses quænam ergo ex tali donatione in fœminam redundet utilitas, utpote quæ omnia mariti bona pro dote tacitæ sibi obnoxia hypothecæ habet? Respondeo: Tacita ista uxoris hypotheca est generalis: at in rebus propter nuptias donatis habet specialem. In illa quoad tertium possessorem est locus beneficio Ordinis sive Excussionis, quod in hac cessat. *vid. supr. p. 3. coit. 8.* Alius usus est in lucranda donatione propter nuptias, sed de hoc jam dixi *dict. aphor. 75.*

§. III. Ita excussimus omnem Celeberrimi Wissenbachii Syllogem, præter duas Authenticas, videlicet *Auth. Ad hæc. & Auth. Hodie. C. de judic.* Sed de iis HODIE NIHIL. Vide sis, Lector Amice, de hoc (HODIE NIHIL) Lansium *Consultat. Orat. contr. Hi-*



span. p. m. 284. quod Tibi proœmii loco in partem Irnerii mei Quintam, cui dictas duas Authenticas cum Promulside Rittershufiana destinavi, relinquo. Vale & Fave.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

**E**X *Jure Naturæ.* (1.) Polygamiam simultaneam rejicimus vid. Excell. Dn. Hulf. *de princip. credendi lib. 1. sect. 3. add. Orat.* Excell. D. Præf. *de Scopo matrim. Dissent. Struv. ff. de tr. ritu nuptiarum.* (2.) Pœnas ob delictum infligere licet. Diss. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 20. §. 1. ubi add. Ziegler. de jur. majest. lib. 1. c. 8. n. 10. seqq. add. Puffend. de jur. Nat. Gent. lib. 8. c. 3. §. 4.*

*Ex Jure Gentium.* (1.) Legatis extra territorium Principis sui eundem honorem, qui ipsis principibus debetur, denegamus. contra Pascalium, Zouchæum, aliosque. vid. Magnif. D. Coccej. *Disput. de represent. Legat.* (2.) Tempore induciarum mœnia reficere militemque conscribere licet. Grot. *3. de jur. bell. & pac. 21. §. 7. D. Textor. Syn. jur. Gent. c. 19. §. 11. seqq. D. Vitriar. 3. Inst. jur. nat. & gent. c. 14. q. 8.*

*Ex Jure Civili.* (1.) Uxoratus cum soluta concumbens adulterium committit, Carpz. *Prax. Crim. quest. 52. n. 49. & seqq.* Menoch. *de arb. jud. quest. 3. cas. 420. n. 106.* Brunn. *ad §. 4. Inst. de publ. jud.* Dissent. post DD. com. Dn. Thomas. *29. dissert. Strauch. 5.* (2.) Restitutioni ob metum annus continuus præscriptus est. Consent. post DD. comm. noviss. D. Voet. *ff. de restit. in integr. §. 5. & Magnif. D. van Eck. ff. quod metus caus. p. 133. Diss. Struv. ff. eod.*

*Ex Jure Canonico.* (1.) Decretum Gratiani non habet vim legis, ne quidem apud Catholicos nisi quam habent fontes ex quibus depromptum est. Ita post DD. comm. Martinus Delrio. Soci. Jes. *disquis. maj. lib. 5. sect. 16.* Suarez. Maj. & Rodriguez apud Layman. *lib. Theol. moral. tract. 4. c. 16. §. 3.* Ericus Mauritius *de lib. jur. comm. §. 28. Lauterb. ff. proleg. §. 9. n. 3. & noviss. Excell. D. Mastricht. histor. j. eccles. n. 132. & seqq. ubi & Dissent. invenies.* (2.) Ad præscriptionem actionum personalium requiritur bona fides. vid. Excell. D. Præsid. *in Siciliment. Lauterb. 97.*  
Ex



*Ex Jure Publico.* (1.) De Jure Publico in Academ. disputare licet  
vid. Fibig. *elect. jur. publ. sem. 1. quest. 4.* Carpz. 2. *const. 5. def.*  
407. Hagen. *Jurispr. publ. lib. 1. c. 1. n. 3.* Wurmser. *fascicul. jur.*  
*publ. exerc. 1. th. 2.* & novissime Illust. D. Bockelm. *colleg. jur.*  
*publ. c. 1.* (2.) An Tutela testamentaria quoad Electoratus  
præferatur legitimæ? problema esto.

*Ex Jure Feudali.* (1.) Feudum est vel hereditarium, vel ex pacto  
& providentia, vel mixtum. Quam divisionem hætenus nemo  
solidius exposuit Excell. D. Coccejo *hypom. feud. lib. 2. §. 19.* &  
*seqq.* (2.) Liberi per rescriptum Principis legitimati succedunt  
in feuda. vid. Excell. D. Præf. Fautoris & Professoris mei nun-  
quam non devenerandi. *Sicilim. Lanterb. 91.* ubi add. Corvin.  
*de feudis lib. 2. tit. 4. §. Legitimati per subsequens matrimonium.*

*Nobilissimo atque omni ex parte politissimo  
Viro Juveni,*

DN. BERNHARDO A BENTHEIM. B. F.  
L Y T Æ,

IRNERII INJURIA VAPULANTIS partem quartam,  
SOLENNI disputatione omnium cum applausu  
publice defendenti.

I.

A Scanium Æneas pater olim excibat, & Hector  
Thius: an & genii vis generosa sui?  
Pace Tua dicam, mutato nomine de Te

Fabula, BENTEIMI, forte favente, cluet.  
Ah perge, ah propera, quo Te, plaudentibus alis  
Fortunæ, ad culmen mitia fata vocant.

*Cognato amicissimo, Auditori atque Convictori ho-  
noratissimo, OppONENTI sæpius strenuo, nunc se-  
cunda vice Respondenti exoptatissimo*

L. M. Q. applaudit

A. A. PAGENSTECHER. JC.

Antecess. Ordinar. Præses.

D 3

Vidit



II.

**V**idit ut affiduum Dusi Themis alma sub Arce,  
 BENTHEMIUM docta volvere Jura manu;  
 Mox etiam IRNERI Sanctos defendere Manes,  
 Addidit auspiciis hæc bona verba piis:  
*Civica BENTHEMIO debetur flore juventa,*  
*Qui juvenis servat, Corcula nostra, senes.*

Boni Ominis ergo amica dextra  
 gratulatur

HENR. CHR. HENNIN.  
 D. & P.P.

III.

EPIGRAMMA.

**P**er atra prisco pectoris Germanici  
 Qui fulgis auro secula,  
 Contemperato candidatis Gloriae  
 Dulcissimisque moribus!  
 Polita mentis Eruditio placet;  
 Quod apparatus & Prælium;  
 Illustre Litis incruentæ Thema placet;  
 Theses & ipsæ perplacent,  
 Nequitum feriri queis Virum sic vindicas  
 Ingloriis ab hostibus,  
 Cunctos triumphum vapulares ut vehas  
 Mastigias Irnerio:  
 Sed pace, BENTHEIM, si Tua licet queri,  
 Querar quod unum displicet,  
 Velimque mutes ut deinceps absouum.  
 Rubrica Libri, IRNERIUM  
 INJURIA CUR VAPULANTEM nominat?  
 At est OVANS IRNERIUS.

*Candido Amico*  
*Amicus Candidus ἐξ ἐδίας*  
 D. HUGUENINUS.  
 D. & P.P.



IV.

**W**ie prahlt das Cleeffsch Atheen mit seinen tapffren Söhnen!  
 Wie wächst Duisburgs Ruhm mit vollen ähren auff?  
 Wer Wisz und Künste liebt / der kan in seinem lauff  
 Auff diesen Musen-Berg sich nach der Krohne sehnen.  
 Du gibst ein Muster ab / Herz BENTHEIM, meiner Freunden /  
 Die ich an diesem Ohrt iz finde / Zierd und Lust.  
 Heut ziehest du zum Streit. Dir wahr nicht unbewust /  
 Daß sich ein tapffrer Heldt gern waget unter Feinden.  
 Nun fahre weiter fort: Dein Tugend-volles Wesen /  
 Dein liebens-wehrter Geist / gibt diese zuversicht /  
 Daß Du den Göttern noch auff Erden werdst zum Liecht:  
 Daß bey der Folge-Welt dein Nach-Ruhm werd gelesen.

Nobilissimo Domino Convictori atque Com-  
 militoni suo hisce applaudit

MAXIMILIAN. HENRIC. LIBER BARO  
 de VELLBRUCK.

V.

B. K. Von BENTHEIM. T.

Bemüht sich jemand nach dem tod ohnsterblich hir zu werden /  
 Kriegt lust daß seines Nahmens Lob sich swinge von der Erden /  
 VON sweiß und fleiß kommt Ehr und Preis: Er muß auß  
 ganger krafft  
 Bewerben Kunst-geschickligkeit / Verstand und Wiffenschaft!  
 Ein slaffer auff der Ludder-banck der allzeit müßig sizzet /  
 Nebst jenem der ni kommt von hauß und nur die Mutter zizzet /  
 Trägt man ihn gleich zu seiner Grufft mit snöder prahlerey /  
 Hört doch bald auff sein Lob / als ob Er ni gewesen sey!  
 Es hat mein Bentheim dis bedacht. Durch Kunst-geschmücktes lernē  
 In diser lieben Duisburg-Stadt sucht Er sich zu entfernen  
 Mit grosser müh dem sterben hi: Glück zu Du Musen-Sohn!  
 Thu wi Du thust Dir blüht zur lust di schönste Lorber Krohn!  
 Difes sezzte Glückwünschend seinem hochgeehrt-  
 wehrten Herrn Landesman zu Ehren

E. C. SCHULTZ, Schol. Teckl. Rect



VI.

**P**Laude relegatis hilaris Duisburgia curis,  
 Lætitiæ causam prælia fausta parant,  
 Undique fausta sonent, plausumque precantia verba,  
 Queis nunc BENTHEIMIO prospera quæque vovent;  
 Dum Cathedram scandit Juvenum flos floridus almam,  
 Festivis resonent Patria tecta sonis.  
 Perge bonis avibus lustrare volumina juris  
 Atque indefessus volvere rite leges,  
 Sic tibi cum Patrios victor remeabis ad agros  
 Pro meritis tantis præmia digna dabunt.

*Hæc animatus Domino BENTHEIM Nobilissi-  
 mo Domino Respondenti in perpetuum  
 amicitia signum apposuit*

CHRIST. BERNARD. GALEN, LL. Stud.

VII.

**M**Egæra en Alec' met vlijt geduyrig spinnen  
 De draeden van fenijn, doch echter niet gewinnen,  
 Als men haer werck verwerpt: en niet daer van neemt aen,  
 Gebruyckt Gy tegengift, haer spinsel moet vergaen.  
 Dit wijst ons BENTHEIM aen, die daer met dappre schreden,  
 Door PAGENSTECHEERS Geest gedreven, aen kooimt treden  
 Naer d' Academy toe: en spreeckt met klaere Tael;  
 Wie ist, die WERNER haet, kooimt hier doch altemael!  
 Ick neem sijn saecken aen, Ick sal Hem defendeeren,  
 En stoppen U de mondt, Ick wil sijn Lof vermeerren.  
 Ach! soo dit WERNER wist, hoe soud' Hy sijn verblijdt,  
 Dat d'Edle Themis Soon voor hem dus gact ten strijdt.

*Ter Eeren van den in schranderheyt uytmuntenden Heer,  
 de Heer BERNARDUS à BENTHEIM, settede de-  
 ses geluckvuenschende uyt schuldigheyt*

H. SCHERIUS, Groninganus, LL. Stud.



VIII.

**S**Tapt verder voort in't spoor van u vermaerde Oudren,  
 Heer BENTHEIM: paert het eynd met middel en begin,  
 Laet u geen moeyte ooyt veryd'len deesen sin.  
 Deynst niet: Een Atlas trost de Weerelt op sijn schoudren.

*Lusit*

ARNOLD. ARENTZEN, LL. St.  
 Daventr. TransIsal.

IX.

**A**Rdua BENTHEIMI non terrent prælia mentem?  
 Neve tuum tardat semita dura pedem?  
 Audio? viribus innixus te sistis Arenæ,  
 Sic animum exacuit Palladis altus honos,  
 Sic Athleta tuum fortem victoria Martem  
 Effert, fama tubis accinit, adstat honos;  
 Suspiciet patrium tua parta trophæa tribunal,  
 Conferet illustri præmia digna manu.

*Nobilissimo Dn. RESPONDENTI Commilitoni*

*& Convictori honoratissimo applaudit*

ALEXANDER WILH: DRIVER,  
 Raesfeld: Monast:

X.

**E**St generosi animi signum, perferre labores,  
 Dotesque ingenii promere rite sui.  
 Hæc forsan tecum, qui jam sub PRÆSIDE Claro  
 IRNERII tentas jura referre, putas.  
 Constanter sic perge modo nec desine cœptis,  
 Et quo cœpisti sic pede semper eas;  
 Hinc poterunt recte perdulces crescere fructus,  
 Quæ Patriæ atque Tibi commoda multa ferent.

*Ex fraterno affectu ita scribit,*

A. C. à BENTHEIM.



XI.

**G**Hy die in frisse Jeugd  
 Volgt THEMIS Wetten, en het Recht van't oude Roomen;  
 Die Naarstigheid en Deugd  
 Te zamen paart, en gaat het valsch betichten toomen,  
 Ghy toont, dat Ghy bent opgegaan,  
 Heer BENTHEIM, d'Edle Helden - baan.

*Dus heeft met een genegene hand en hert sijn vrind-  
 schap en achtingh pooghen te betuigen*

H E N R. B L A N C K E N,  
 Thyla - Gelrus, LL. St.

XII.

**Q**uid faciam? taceamne Tuæ admirator arenæ?  
 Quid? taceam Frater, FRATER amande, tuus?  
 Scribam aliquid, non quo crescant encomia, verum  
 Fraternalæ ut videas pignus amicitia.  
 Sic fortis pergas Themidis pugnare sub armis  
 Ut valeas merito victor abire brevi.

FRID. ICO à BENTHEIM.

XIII.

**A**N non suspiciam generosum sanguinis æstum?  
 Cum tibi securus Palladis auxilio  
 Bella struis, sed nunc animi stupor evolat omnis  
 Nam mihi sublimem nomine significas  
 Arcem, mi BENTHEIM! nunc ergo tela vibrentur,  
 Ast ferient frustra, spicula sæva rigens  
 Eludet rupes, & sic securus in arce  
 Degens, devictis hostibus, ampla feres.

*His animitus Nobiliss. atque Politiss. Domino  
 BENTHEIM applaudere voluit,*

JOANNES ROTGERUS EBELN, L.L. Stud.



Kd 3358

8

7

ULB Halle  
003 758 15X

3



TA-206

6-stück felle node


VD.77











Q. S.  
URIDICA  
NIS  
ni 1693.

4

# INJU- LANS,

o, *Consultissimo*

## ARNOLDO RO, JC.

omitem in Bentheim,  
ARNOLDINO, Nunc  
usti Electoris Bran-  
HISBURGENSI,  
ario,

er  
BENTHEIM,  
TPHALUM.

R T A.

HENUM,  
dem. Typographum.  
CIII.